

**Quaestio medica, an a potibus spirituosus praematura senectus? /
[Anne-Claude Dorigny].**

Contributors

Dorigny, Anne-Claude.
Gevigland, Natale Marie de.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rj6qua3k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-secundo

mensis Maii, anni M. DCC. XLIX.

M. NATALI-MARIA DE GEVIGLAND,

Doctore Medico, Præside.

An à Potibus spirituosiss pramatura senectus?

I.



U A lege vitalis animalium motus perennat, eadem certa mors animalibus incumbit; ut eodem mechanismo, nutritio, incrementum, & necessaria mortis prænuntia senectus, labentibus annis, sese excipiant. In primo scilicet principio, ubi leviora sui rudimenta oculis fœtus exhibuit, totus ferè resolvebatur in lympham plasticam continuatione caloris, motûs, variisque liquoribus concrescibilem. Motus cordis in ipso vitæ limine inchoatus, maternus calor, tenuiorum dissipatio, sensim firmitatem fibræ addebant. Crescebat respectus solidi ad fluidum, donec prodigioso incremento luci maturus utero materno excluderetur infans, lymphâ turgidulus adhuc, natantibus oculis, & hebescentibus ab obruente pituitâ, tum externis tum internis sensibus. Proprio quidem calore, propriisque motûs viribus, novo jam respirationis adminiculo, crescit adhuc sed lentius; & eò quidem lentius, quò firmioribus solidis vasculisque pluribus evolutis, jam præscriptos staturæ terminos propius attingit. Ad hos ubi semel perventum est, quidquid fibræ à vitâ continuante additur, nimium est. Incrassantur illæ, sese mutuò comprimunt, diametros vasculorum minimorum arctant, quæ aliundè vi vitæ assiduè pressa maximè in angustum coguntur. Stagnat in his sibi nihil intervalli reprensens lymphæ superflua; & ubi hæret, concrescit. Hinc nova fibrarum crassiorum progenies. Quæ loca lambebat olim fluidum, tunc solida & arentia reperias. Quia natura progressum, qui est ad siccitatem, effugere non licet, ideò senescimus, & corrumpimur (a). Sic sensim cutis arefcit, arefcunt lymphaticis perfusæ vas partes membranaceæ. Occalescunt tendines, & tendinæ vasorum tunice, actionique evadunt impares. Id præsertim contingit, iis in locis, ubi vicinior cordis actio plasticam tenacemque lympham tenuiora exprimendo compingebat, validiorique minorum vasculorum pressione, melius eorundem obliterationi favebat. Hinc vel in extremis senilis gangræna, vel ad cor palpitaciones, polypi, & mors denique ineluctabilis.

I I.

QUANTUM VIS homini senectutem prorsus deprecari, spemque immortalitatis concipere vanum sit, illam tamen præcipiti gradu ingruentem, justo rerum moderamine retardare, Hygiæ sanioris opus est. Non enim omnium tergo senectus æqualiter incumbit; sed illos tardius, hos verò promptius opprimit. Quò quisque sicciori fibrarum indole, quò fluidis tenacioribus præditus, eò, si consentiant vitæ vires, pramaturâ magis obruetur senectute. Siccior est exercitatus rusticorum fibræ, du-

(a) Galen.
de sanitate
tuendâ. lib.
VI. cap. III.

riorque textura. Hinc nati versare glebas, valida sustentant trahuntvè pondera, queis urbanus, aut musis otiove deditus succumbat. At iis præmatura ab anticipatâ vitâ senectus. Contrâ verò imbelles otium, & iners languentis in umbrâ vitæ desidia, annosam mollitiem in mulieribus ad insignem protrahit longævitatē. Præmatura pariter siccitas ab aeris externi æstu & ariditate fibræ inducitur. Dùm benignus ille qui jugiter fibras alluere debet ros, exhalat, siccantur arescuntque illæ. Hinc, cæteris paribus, densiores animalium in hisce locis degentium partes, densior fibrarum compages, & ipsorum vitæ meta brevior præscribitur. In paludosis verò frigidisque locis, dùm allabentis humidæ atmosphæræ actio fibras molles servat & laxiores, longior est ætas; ut de sylvicolis

(a) Inst.
Med. Hall. 5.
DCCLXII.

annotat (a) Boerhaavius, qui locorum umbrâ, à sole & æstu deffensi, exhalantibusque à gramine & omni stirpium genere vaporibus emolliiti, ultrâ centesimum annum frequentes ideò vivebant, quia ne siccitas ingrueret prohibebat, tùm perspirabilis humor à laxâ fibrarum compage cohibitus, tùm resorptus undique vaporosus atmosphæræ humescentis halitus. Sed nec minus est ab humore tùm intus, tùm extus exundante ad longævitatē beneficium; quod scilicet lympham minùs tenacem, minùs compactam atque densam, minùs, si fas est dicere, nutritiam reddat. Increcente enim in lymphâ parte aqueâ, tenuior illa minima vascula præterlabitur quibus adhereret tenacior & crassior. Hinc nutritio minor, sed diuturnior. Sic in calidis regionibus in quibus sanguis, serum, & lymphæ, specificè densiora inveniuntur, brevè quidem staturæ suæ terminum adipiscuntur homines, sed citius decrementum. Tardiùs contrâ Septentrionales crescunt, tardiùs pariter decrescunt; plastica scilicet magis est prioribus, posterioribus verò magis aquea lymphæ. Hinc patet quâ ratione tantùm speraverit in protrahendâ insectorum vitâ per cohibitam perspirationem insignis Reaumurius. Eâ enim cohibitâ emolliebat solida, obsequiosè reddebat flexilia; fluida simul minùs densa, minùs plastica & concrementia evadebant. Patet pariter, cur adeò suadendus, dùm per æstatem arescunt corpora, Balnei usus, si præsertim ex iis quæ cutem obstipant adhibeatur, ut veterum mos erat post balneum ungi oleo; si balneum ex lacte usurpetur, ut mulierculis olim legimus usitatum. Constat etiam cur ad arcendam senectutem, ex frictionibus cum melle, butyro, aliisque, tantùm sibi emolumenti post experientiam, & Verulamius & Boerhaavius, (b) promiserint. Intelligitur demum quid ex aqueis tenuisque nutrimenti alimentis, potu diluente, leni, copioso, ad annos producendos sperandum; sic quid contrâ è validis calefacientibus metuendum. *Vitæ ratio, quæ refrigeret & humectet, labores minime calefacientes & colligantes, plurimam refrigerationem exhibebunt. Ejusmodi natura longissima sunt vitæ (c).*

(b) Boerha.
Inst. Med. 5.
MLXIII.

(c) Hippoc.
de victus ratione. lib. I.

Sed frustra fibras servari posse molliores, aut liquida tenuiora speraveris, si vis vitæ intus maxima, fortius in vasorum parietes impingens, lympham incuneet, tenuiora simul exprimat, plurimorum vasculorum procreet occalescentiam, siccitatemque tot titulis inducat. Sic dùm nimio exercitio vitalis motus tantoperè intenditur, fiunt fibræ fortiores quidem & validiores, sed & rigidiores. Hinc junioribus præmaturè exercitis, præmaturæ vires, præmatura pariter senectus. Hinc qui in exercitiis transiguntur anni, robur & incrementum corpori majus addunt, sed ad senectutem proximiora reddunt corpora. Sic febres, cæterique morbi inflammatorii, junioribus quidem incrementum adeò notabile conciliant, senioribus contrâ adeò pariter evidens decrementum. Quid jam, si fortissimis vitæ viribus aut sicca temperies addatur, aut compactissimi fluidi movenda moles. Certè eò citior accersetur senectus, quò plures hujusce generis causæ concurrent.

I I L

FERMENTATIONIS prima & genuina est progenies, spiritus ardens. Per illam tot vinorum genera sive ex uvis, sive ex cerealibus, sive ex pomis cujuscumque generis eliciuntur. Ex his omnibus idem educitur spiritus, qui pro minori majorive phlegmatis quo diluitur copiâ, aqua vitæ, spiritus vini, alcohol denique audit. Porro ad mensuram usum & potum non tantummodò vina cujuscumque generis advocare sagax edocuit ingluviem, sed etiâ arte paratos spiritus adhibuit. Succis plantarum expressis spiritus noster additur. Destillatur cum volatilibus plantarum partibus, quibus ejus actio crescit immaniter. At omnium horum liquorum, quantumvis accidentibus & efficaciarum gradu distent, ab Alcohole pendet actio. Communes igitur horum effectus tantùm juvet intue-

ri. Hominem vino, vel quolibet alio liquore spirituosus turgidum contemplare. Si par-
 ciori ejus copiâ humescit, menti novus accedit vigor, hilaritas, per omnia diffusus mem-
 bra calor, rosea facies, audacia major, vividior mentis acies & ad lætitiâ composita;
 undè ubique lætitiâ dator Bacchus appellatur. Sed largiori potu omnia contrâ videas mu-
 tari. Sequitur torpor & insensibilitas, insuperabilis ad somnum propensio; & à somno he-
 sternas crapulas semper excipit gravitas capitis, lumborum & crurum summa defatiga-
 tio, inertis stomachi languor & tenacis pituitæ importuna excreatio. Hi porrò effectus
 partim ab agente in nervos spiritu, partim ab eodem in sanguinem diffuso repetendi
 sunt. A nervis derivari debet vigor ille novus, quo vix in stomachum adducta hæc li-
 quida totum corpus perfundunt. Hinc ori vix admota robur videntur inspirare. Hinc acrem
 & titillantem linguæ saporem imprimunt; ita ut sapida quæcumque vix postea gustum
 afficere queant, & ebriosi, nihil præter ea quæ sale & aromatibus infarciuntur arrideat.
 At ubi jam ad sanguinem pervenerunt, tum nervos iterum & tunicas vasorum sensiles
 excitando, motum augment. Cor alcohole fœtum, vividius impellit sanguinem; rarefcit
 hic & in minimis calorem spargit vasculis, verumque aliquando & febrilem crethismum
 accendit; undè tot ab ebrietate febres quæ sanguinem ab heterogeneis spirituosisque par-
 tibus, ut ita dicam, despumant. At quæ postea sequitur defatigatio, vasis præter mo-
 dum distractis, & à vividiori sanguinis impulsu fatiscientibus debetur. Qualis ab exer-
 citio remanet lassitudo; ut in utroque pariter motus vitalis intensior vitæ quasi compen-
 dium exhibeat. Utrunque scilicet motus intenditur, tum liquida movens tum applicans,
 intenditur calor, applicata firmiori neçtens vinculo, dum tenuiora cogit exhalare. Utrum-
 que demùm excipit minimorum vasorum collapsus novam lymphæ stagnationem indu-
 cens, quâ facilè cum illis expresso tenuiori liquido concrefcit.

I V.

SED hæc motui cuicumque aucto communia primo apparent intuitu. Si nunc alco-
 holis effectus altius investigaveris, novæ tibi sese prodent proprietates quibus rigi-
 ditatem possit fibris addere, & senectutem arcessere. Solida, quæcumque sint, quæ spi-
 ritu vini condita asservantur, sive ex vegetantibus sive ex animalibus indurescunt; nec for-
 sã aliâ proprietate putredinem magis arceat. Contrahuntur illo perfusæ partes, ut ipse
 sensus linguæ satis indicat. Nunc si lacti, sero, albumini, sanguini affundatur, coeunt su-
 bitâ unione in thrombum & massam scissilem (a); & eò quidem densiorem quò vel hu-
 mores illi minùs aquosi sunt, vel spiritus vini ad hunc usum adhibitus rectificatus magis.
 Utrouque titulo, in hæmorrhagiis externo usu commendatissimus, parietes apertorum va-
 sorum ad se cogit, sanguinem ad orificia in thrombum condensat; ut in illo vis tum astrin-
 gens tum condensans satis evincatur. Nec ullo melius experimento vis illa constringens
 alcoholis innotescit, quàm arte illâ quâ catellos frequentibus in spiritu vini balneis ita
 contrahunt, ut postea non increfcant ampliùs, rugis quidem citò deformes, at corporis
 parvitate semper insignes. Utramque hanc vim infelicitè in spirituosorum potatoribus
 deprehendere est. Hinc ab eorum usu pituita tenax & viscosa stomacho inhæret; unde
 matutina & inefficax nausea: aut si vomitu redditur, coagulationis notas insigni tena-
 citate prodit. Hinc quacumque subtilissimus spiritus pertingit, solida ad sese adducit
 liquidaque condensat. Sed nullibi manifestius vires suas exerit, quàm in tenuissimis lym-
 phæ mæandris, ubi lentior ejus cursus coagulationi melius ansam præbet; ut in lymph-
 ticarum glandularum anfractibus, quâ præsertim vicinior digestionum officina primos
 aditus faciles præbet. Hinc in mesenterio tota glandularum series immeabilis efficitur.
 Idem in pancreate observatur, & in ipso hepate cujus bilis admixto alcohole crassescit
 & enervatur.

Nec partes alias ab illâ labe immunes censueris. In eis præsertim quibus, iis sese in-
 guigitare familiare est. Metuendum hujuscemodi spectaculum offerebat ebriosa mulier.
 Huic enim non modò mesenterium, hepar, pancreas, lapideam æmulari duritiem vide-
 bantur; sed & pulmones ipsi scirrhusi, sicci, flacciscentes erant, & omne glandulosum
 genus siccum, impervium, lapideum (b). Quid porrò senectutem magis exhibet, quàm
 sicca illa atque lapidea solidorum temperies? Accedet prætereà emunctoriorum variorum
 inertia, excrementaque aggerentur pituitosa; tremor adjungetur artuum senilis, à colla-
 bascentibus propter nimiam præviâ distensionem vasis. Huic autem pituitæ expellendæ,

(a) V. Boyle
 Hist. sang.
 Exp. VIII.

(b) Van-
 Suit. Comm.
 Aph. Boesha.
 P. 34.

(c) Boerh.
Inst. Med.
Hall. §. 1063.

(d) Freind.
Emmen. cap.
XIV.

tremorique sanando, rursus advocanda artificialis per alcohol rarefactio; undè nova malorum progenies, faciliorque in vasis inertibus coagulatio. Hinc certè fidem meretur veracissimi Boerhaavii (c) observatio, quàm omnes liquoribus illis abutentes ante quinquagesimum annum obiisse testatur, sed vietos, sed marcidos, sed omnia effætæ senectutis signa præferentes. Nec est quod tibi malè persuaseris quòd in tanto fluidorum torrente vis illa coagulans pereat. Injecto in venam canis jugularem spiritu vini, ità in ipsis pulmonis ostiis hætebat sanguis, ut post miras anxietates, animal mortuum concideret (d). Sed si prætereà attenderis quantà subtilitate sese quaquaversum diffundat, quàm citò ad minima vasorum lymphaticorum ostia perveniat, ubi solida sensilissima arctantur maximè, & lentescit præcipuè lymphæ; certè ejus effectus nullà arte emendabiles rectè dixeris, & ab ipsis vi resolvente, ubi partes lymphaticæ infarciuntur, etiàm externo usu, cautior semper indurationem metues.

V.

NEC facilè credideris adjunctorum variorum efficaciam hanc coagulandi vim in alcoholè posse obtundi. Vel enim phlegmati unitur, vel aliis quibuscunque intermediis. Si phlegmate diluitur, debiliior quidem ejus est effectus, sed semper idem. Si cum alio corpore permiscetur, vel corpus illud oleum est, vel acidum, vel terra. Oleo densiori præcipuè unitur, in illis locorum calidiorum vinis, quæ sole exusta, vina fundunt aromatica, moschata, liquorosa vulgò dicta, protractiori præsertim fermentatione parata. In iis quidem sua difficiliùs vincula rumpit alcohol. Sed intereà rarefcentia olei major æstum accendit, tenuioraque prorsus diffillare cogit; & in corpore mediante oleo diutiùs detentum alcohol, eò peiores effectus edit, què diuturniores. Si cum acido terreoque sale, ut in vinis oligophoris, perpaucà copià & nexibus liberum minori nexà corpus afficit; vina ipsamet eò brevè destituta renes impetunt, ut in vinis exiguà fermentatione præparatis locorum præsertim frigidorum reperire est. At continuato ipsorum usui ne fidas; debilia solvet vincula calore corporis alcohol, & eosdem semper edet effectus. Quòd si acido oleoque attenuatissimo uniatur, nihilque crassi ferè secum habeat, tunc nervis potissimùm insidiatur, brevique furore in caput defervescit. Sed hæc ut & modò citati stemmatis vina, levi coagulatione per acidum adhuc auctà, arthritidis, rheumatismique relinquunt semina, præmatura quidem, nec nisi senioribus olim cognita. At id adhuc magis efficient, quàm plurimam secum terram vehunt si parùm olei, si acidum multum ferant. Tunc enim & nervos impetunt primariò, sensilioresque reddunt; nec tenuatam satis terram ad emunctoria deponere potens natura, nunc ad renes nunc ad articulos emittit, ubi nova coagulationis signa, tum topi, tum calculi produnt, præcociaque ubique senectutis indicia relinquunt. Nec minùs intereà augetur motus, lymphæ celerius movetur, calor increfcit, & ubique sive per sua incommoda, sive per externa signa senectus agnoscitur, ut nec latenti emendatoque alcoholi suus possit auferri effectus. Quid, si arte sollicità ipsum à nexibus solvis, liberumque infundis in corpus quaquaversum volatilitate suà diffundendum? Quocumque perveniet, indurescent cum liquidis solida, & præ rigiditate inertia veram senectutis ideam exhibebunt.

Ergò à Potibus spirituosus præmatura senectus.

Proponebat Parisiis ANNA-CLAUDIUS DORIGNY, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H.
1749, à sextâ ad meridiem.